

2142 II / 2370 37.
LUCERNA PROVINCIAE
TRANSSYLVANICAE EXTINGTA,

*Intempestivo, nec unquam satis lugendo è vi-
vis excessu,*

EXCELLENTISSIMI AC ILLU-
STRISSIMI DOMINI, DOMINI

G E O R G I I

C O M I T I S

B A N F E I

D E L O S O N C Z,

Sacrae Cæsareæ Regiæque Maje-
statis *Consilarii Intimi*; Ejusdem altè fatæ Maje-
statis nomine, Transsylvaniæ & partium Regni
Hungariæ eidem annexarum *Gubernatoris*; Co-
mitatum Colosiensis & Dobocensis *Comitis*;
nec non Civitatis Kolosvár *Capitanei*, ubique Su-
premi; Patriæ *Patris*; & Statûs Reformati in
Transsylvania *Ailantis*; &c.



VI Splendore Natalium non minus,

quàm Virtutum Factorumq; gloriâ comunem mortalium sortem supergressus, inter Divos si referatur, paradoxum non est: si quidem ritè Heroas, Deos, Deorumve progeniem vocârit antiqvitatis, & veret illud Socratis: Nostine Heroas esse Semideos? Quidni, omnes nimirum ex Deorum erga mortales, aut mortalium erga Deos amoribus nati; omnem autem dubitationem superet effatum Regii Vatis: Ego dixi, Diî estis. Divinum enim est, quicquid in Nostro spectare licet, sive ortum Heroè dignum, sive vitam Heroicis facinoribus illustratam, sive mortem animo verè Heroico obitam; si mors dicenda sit mortalitatis cum immortalitate commutatio, & si Virtutes à Diis immortalibus cœlo delapsæ, adedque perennes, imperio mortis subjacere queant. Ortum quod attinet, singularis in Illo se explicat Divini Numinis amor & benignitas, quàm dâvinum Illi cum generoso sanguine inspirat spiritum: ut Magnorum ex Illustri stemmate Banffiorum, ex vetusto Banorum, Stephani, Ladislai, &c. genere oriundorum (: quorum aliqui supra titulos Baronum & Comitum, Episcopatûs, alii Palatinatûs in Hungaria dignitate claruerunt :) genuina soboles clueret. Digno tanto ortu Genitore, Incomparabili dum viveret Heroè, Illustrissimo Dionysio Bánffy de Losonc, Michaëlis Filio, Georgii Nepote, Dionysii Pronepote; Celsissimi quondam Principis Transsylvaniæ Michaëlis Apafi Consiliario intimo, Inelyti Comitatus Colosensensis Comite; Civitatis Kolosvár, Arciumque Szamos-újvár, Somlyó, Cseh, Sebesvár Capitaneo, ubique Supremo; &c. Genitrice autem, Illustrissimâ Catharinâ BornemiZâ, Illustrissimi Herois Pauli BornemiZa, Magni Váradini Præfecti, & Comitatus Bihar Comititis, utroque Supremi, Filiâ; Celsissima quondam Principis Transsylvaniæ Annæ BornemiZa, Sorore germanâ, omnibus quæ Heroinas decet virtutibus commendatissimâ; in dias luminis auras editur, Anno superioris seculi LXI. (: ob intestinos Patriæ motus Procerib⁹ Transsylvaniæ tunc exulantibus, idemque Fatum passis, dictis magni nominis

nominis Parentibus:) in Arce Celsissimi quondam Principis Johannis Kemény, Aranyos Medgyes vocatâ. Atque ibidem, ab eodem Principe, & ejus Conthorali Celsissimâ Anna Lonyai, tanquam Susceptore & Susceptrice, occulto quodam presagio, de sacro fonte levatur: dignus olim futurus, Qui ùt infans Principum sinu fovetur; ita provectior etate, curâ Principum excolatur, & dotibus Heroë dignis instructus, si non Principalem, Principali certè proximam dignitatem consequeretur. Ejusdem Divini Numinis amor & benignitas se explicant uberius in provehendâ etate Illius, & vitâ ad avitum stemma conformandâ: quamvis enim etate tenerior, & (: ùt dicitur:) ex ephebis vix egressus, fortunâ ante propitiâ, mox iratâ & inclemente usus, durioribus exerceri Fatis, & leta tristibus, prospera adversis mixta, prælibare inciperet, (: ut nec secundis efferrî, nec adversis frangi maturè disceret:) infælici Fato, tragicâ morte vivis erepto Genitore mitioribus Fatis dignissimo; letioribus tamen etate simul & virtutibus adolescentem solatur Divina benignitas, & blandiores incipiunt spirare venti, nubibusque Phæbus caput effert. Quum Divina Nemesis justæ causæ patrocinata, fusum gloriosissimi Parentis Ejus sangvinem, omnium ferè cædis illius complicum, exemplari exitu vindicat; Eum verò livore malevolorum arctatum nonnihil & fortunis magnam partem exutum, imò articulatè circumscriptum, Laudatissimâ Principe materterâ præprimis annitente, Princeps & Proceres, publico decreto, sublatâ circumscriptione, in libertatem & avitam dignitatem restituumt. Quâ obtentâ, providâ dictæ Principis & Matris viduæ curâ, non jam inter domesticos parietes, sed in publica studiorum palestra, Almâ Reformatorum Claudiopolitanâ, Artium Liberalium cultu, liberius exercetur, perficiturque; eousque, ut mollior adhuc dum etas, studiis & moribus culta, singularia & Heroum sanguine digna de Se promitteret; & in nascente aurora, fortes & vividos spargeret radios. Non vano augurio, Eum lege quadam ortûs, ad ardua Natum, & maturescente cum Virtutibus etate, ad altiora Evehendum fore: ut jactura, quam non levem fecit Patria funesto decessu magni Parentis, in Ipso tanquam unico bonorum & virtu-

tum paternarum Herede, compensaretur. Et letus augurio respon-
dit eventus: in ipso enim juventæ & vigentis ævi flore, raris ex-
celsi animi dotibus & masculis virtutibus dives, publica incipit
obire munia, paci ac securitati Patriæ destinata. Et primò qui-
dem Inclyti Comitatus Dobocensis, mox & Albenfis, Supre-
mus Comes salutatur; sed quum amplior Virtutibus Ejus debe-
retur merces, paulò post Consiliarius intimus, Celsissimi quondam
Principis Michaëlis Apafi, creatur. Qui Eum singulari gratia,
ad usque novissima complectitur. Quò, notabili Dacicæ Gentis
jacturâ, fato Suo defuncto, quum & Princeps pupillus Michaël
Apafi II. Tutorem, & Provincia Gubernatorem, requirerent
non tantùm; sed in conclamato illo rerum statu penè clamarent,
in Eo supra amorum legem, singulari capacitate ad augustum
illud munus obeundum comperta, comunibus Procerum & trium
in Transylv. Statuum & Ordinum votis, A. 1692. Gubernator
Transylvaniæ & partium Regni Hungariæ eidem annexarū,
eligitur. Accedente gratiosâ Sacratissimi Imperatoris LEO-
POLDI I. confirmatione, super eadem electione habitâ; & nè
quid meritis deesset, addito tantæ dignitati, titulo & manere Su-
premi Comitis Inclyti Comitatus Colosiensis, ut & Supremi
Capitanei Inclytæ Civitatis Claudiopolitanæ. Quibus maclus
honoribus, Titulo Supremi Comitis Comitatus Albenfis, nè ad
invidiam augeri videretur, spontè renunciat. Ita, Quem de-
pressum, si non prorsus sublatum voluit hominum malitia, exaltat
Divina bonitas ac clementia, ut supra alios honores, summo infra
Sacratissimam Majestatem Casareo-Regiam Magistratu, in Trans-
sylvania fungeretur. Quò, per tria & quod excedit lustra, in-
ter varia Patriæ discrimina, gloriosè functus, singularia edit
documenta, Sapientiæ, Pietatis in Deum, Justitiæ, Clemen-
tiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Constantiæ, Vigilantiæ, Fideli-
tatis, Philopatrias, Moderationis, Humanitatis, nataque inde
Amabilitatis, & cæterarum Virtutum. Quæ Eum, tanquam
Deorum progeniem, cognato jure uti nascentem excepère; ita
mollem adhuc, blando sinu fovere, uberibus lactare, atque ita ani-
mare in dies & vegetare, usque quo adolesceret: ac roborare, quò
cultior

4.
cultior etas labori responderet, non destiterunt; imò ad extrema usque, assidue comitatae sunt. Quum enim, post multa virtus opera laxari deberet, pretiosumq; caeli depositum caelo reddendum, & terrestres exuvia exuendae essent, continuatâ Divini Numinis benignitate, eo animatur spiritu, ut mortalia animo verè Heroico ex alto despiceret; & caelestis Suae originis non immemor, Se ad aeterna, rarâ certè & penè in exemplari resolutione disponderet: gnarus aprime, Stultitiam esse timore mortis mori. Dum itaque exquisitis urgeretur doloribus, pharmacorum ope nullatenus extinctis, & viribus ac omni succo sensim exhauriretur, dissolutionem terrestris tabernaculi, (: in quo pars nobilior, Divinae illa particula auræ, nonnisi conductitio hospitabatur:) presentiscens, dispositione rerum familiarium presenti animo factâ; piis legatis pro indigentia Ecclesiarum & Gymnasiorum suprema voluntate constitutis: Liberis, nè ab avita virtute degenerarent, nevé tritum illud, Heroum filii noxæ, in Seipsis verificari paterentur, paternè quidem, sed graviter & severè admonitis: Augustissimo Imperatore JOSEPHO I. Cujus fidelitati, post decessum gloriosissimi Imperatoris LEOPOLDI I. Se ad sanguinem usque devoverat, eamque multis nominib⁹ testatam fecerat, pro gratia Cesareo-Regia quam liberalem expertus fuit, adoratò; Si quid in excelso Locumtenentis officio humani passus commississet, humilimè exoratò; & stratis ad Divina pulvinaribus, cum fascib⁹ Imperatoriis, & Augustâ Domo Austriacâ Diis tutelaribus commendato: Excellentissimo Transsylvaniæ Generali Commendante, cum voto sælicis Armorum successûs, extremum valere jussò: Procerib⁹ convocatis, & ad mutuam Pacem ac Concordiam patetica parenesi animatis, exequialem mundum omnem in conspectu suo adornari, & feralem urnam, quâ exanime cadaver condendum esset, ponè lectum emortualem collocari jubet; quâ inspectâ, prævidè, cygneo cantu Sibi parentat, in hæc erumpens: Hoc denique futurum est palatium meum; in quo ubi requievero, fœlicem Me prædicabunt omnes. Hoc unicè doleo, quòd Fatorum violentiâ vitæ meæ cursus tunc abrumpatur, quum adhuc Patriæ, Ecclesiæ, & pupillæ Domui ac Familiæ meæ, diu-

tuis prodesse poteram! *Quibus hunc in modum expeatis, cum
 nihil amplius Eum remorari posset, adstantib⁹ vix animadvertentib⁹,
 Divinus ille ac resolutus spiritus, Angelorum & Virtutum
 choro stipat⁹, beatas repetit Sedes; nonnisi parietinis humani cor-
 poris, Nobis mortalib⁹ relictis: in Urbe metropolitana Cibiniensi,
 Die Mensis Nov. 15-tò, D. LEOPOLDO sacro: Anno Æræ Chris-
 tianæ 1708. Ætatis Suxæ non brevib⁹ lustris, sed seculis dignæ 47.
 Premissâ Sibi ad beatos cœlites, ante biennium, & phases Lunæ
 novies repetitas, Conjuge fidissimâ, Excellentissimâ ac Illustrissimâ
 Comitissâ CLARA DE BETHLEN verè Heroïnâ: cum Qua
 Ann. XXIII. intemerata fide conjugali vixit, & ex ea lectissima
 casti thalami pignora XIII. suscepit. Quorum VI eternitati
 transcripta, Anna, Franciscus, Gregorius, Eva, Josephus, &
 Barbara: VII. reliqua, Catharina, Dionysius, Georgius, Maria,
 Clara, Christina, Susanna, madentib⁹ genis paternos exosculantur
 cineres. Ne quid autem Virtutes congenitæ, de jure & officio suo
 remitterent, postquam Beatum illum Spiritum, Sacrarium tot
 virtutum, si non omnium, celo redonassent; Deorum progenie ad
 ortum reductâ, viduas Gubernatore, imò Patre, Transsylvani-
 cas repetunt terras, cœca nocte, & plusquam Cimmeriis tenebris
 obductas. Ubi percussæ rei novitate, & non parùm attonitæ, stu-
 pent, ac mox tacitum quoddam subaudiunt murmur, expostulans
 cum natura rerum ac immiti Fato, non quod mortale, & nascendi
 conditione periturum destruxerit; sed quod, sive invidiâ, sive in-
 dignatione, sive æmula superùm cum inferis contentione, pretiosum
 illud cœli Depositu[m] terris eripuerit: quod Lucernam Transyl-
 vaniæ extinxerit, & intempestivo ejus occasu intempestam noctem
 induxerit: quod unicum Dacicæ Gentis Presidiu[m] ac Ornamen-
 tum subduxerit; & quod nocituram populo orbitatem, mœrenti
 squalentique Reip. tanquam comuni Civium domui intulerit. Et
 progressæ paululùm inter ambigua tenebrarum, tantam advertunt
 miserabilis Patriæ, tantam Procerum & Populi, omniumq; sta-
 tuum & ordinum conturbationem, ut recente adhuc publicæ cala-
 mitatis sensu, nullis solatiis ac remediis, tristis spectaculi misera-
 tio allevetur. Quò suspirantiũ, ingemiscentium, flentium ac eju-
 lantiũ*

lantium concursu, non alia certè comparet Regni facies, quòd Patriæ Patrem terris ereptum, fluentib⁹ in publico lachrymis comploraret. Quare & Ipsæ, tanto casui, natoque inde privato, & publico luctui ingemiscetes, ad luctum se componunt, & Quæ antea Beatæ Illius Animæ ad Superos evectæ Comites, & (: fas sis dicere :) Pedissequæ erant, illicò mortalium quas reliquit exuviarum pollincturam meditantur, quâ Illas à corruptione præservarent; non aromatibus, seculenta hæc, & contagione non una, velut vitii pestilentia obsessa, redolentibus; sed nativo Divùm sanguine & succo, cœlesti rore temperatis, miramque aded & perennem fragrantiam spirantib⁹. Lectis XII. Sororibus supra recensitis, (: reliquis autem subservire jussis :) quæ supremo hóc defun- gerentur munere. Quòd rite defunctæ, cum pollinctum dicta ratione cadaver, tumulto Majorum inferendum esset, pars funesta face accensa præire, pars bajulando humeros submittere prompta, Illud inter cognatos pulveres, proximius inter oculos Matris & Conjugis, uti jussæ fuerunt, ad quietem componunt. Nè autem secretius illud commercium, quod lis cum Vivo intercesserat, per mortem penitus intercidisse videretur, justis persolutis, singulæ singulas corollas, ex florib⁹ amarantbynis contextas, ornatasque unionibus ac gemmis nativo splendore fulgurantibus, totidem Symbolis ac Inscriptionibus insignitas, in testimonium perpetuæ necessitudinis, tumulto Ejus APPENDUNT.

Ministrante publico nomine, Ingenuo Virtutum Magni
Herois æstimatore: SAMUELE Szathmár-NÉMETHI,
in Illustri Claudiopolitano Reformatorum
Collegio S. T. Professore.



I. S A P I E N T I A.

Symbolum: *Sapiens dominabitur astris.*



Rinceps omnium virtutum est Sapiaentia, ait Cicero. Alter autem: Prima & præstantissima possessio est Eruditio mortalibus. Et verè quidem, quanto enim bona animi præstant bonis fortunæ & corporis, eaque multis post se relinquunt parasangis; tantò præstantius est, quod animo possidetur: cujus præcipuū decus ac ornamentum est Sapiaentia; quæ non à brutis modò, sed & hominibus, cæterùm simili ortu editis, longo disternat intervallo. Maximilianus Imp. Naturam novercam ajebat, Doctrinam matrem; illa enim animantia duntaxat, hæc verè homines facit. Imprimis Illustribus viris singulare decus conciliat Eruditionis ac Sapiaentia gloria; quarum cultu, infirma adhuc dum ætas, in eminente rerum fastigio collocanda, cum ipso alimento & sanguine hauriat, quod virilis maturitas, in divino illo & excelso regendi officio desideret. Unde eleganter, Eruditionem, Plebejis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco esse dicebat Sylvius. Demades verò, sapientes inter & indoctos, tantum, quantū inter Deos & homines discrimen faciebat. Nec injurià; Sapiaentia enim est viva Divinitatis imago, quæ sui possessores, comuni mortalium forti eximit, facitq; Deo similes. Unde & Ipsam, Deam & Deorum Progeniem dixere veteres, cælestem illius ac divinam originē significantes. Quod idem adumbrârunt Poëtæ, dum Minervam, Disciplinarū Deam, ex cerebro Jovis natam finxerunt.

*Prima, corollam tumulo Excell. Comitris BANFFI jurè
appendit Sapiaentia, cum hac Epigraphe:*

Summus rerum Opifex, vastum Qui condidit orbem,
Ex nihilo, & solo jussu Qui cuncta vocavit;
Hoc homini sublime dedit, quò cætera longè

43
Exuperat, fictam quod inani pulvere glebam
Spiritus intus alit, divina particula aure,
Quâ Plaster novisse suum, dignèque referre
Quiret, & obstricto se Illi conjungere nexu:
Sola perennantis facio hoc, Sapia mentis,
Quâ decet exultâ cunctos excellere; sed quos
Surgere ad alta facit cœlestis gratia Divûm
Hos super astra vehit Divæ sapientia mentis.

Inter quos, (: ignes velut inter Luna minores :)
Luce nec obscurâ radias, Comes Inclyte BANFFI,
Divinam mentem Cui mitia Fata dedere
Et sapientem animum, quô vertice sydera tangis;
Ingeniumque acre, atque sagax, quô vivitur unô:
Quêis certas rerum posses cognoscere causas,
Nec tantùm; Superûm arcanas sed discere leges,
Et sapere ex illis, est quæ sapientia vera.

Dotibus his, Aquila dudum prælusit imago
Stemmata quam gestas, quam Gryphus corpore præfert
Gentilis, cui sunt ala, vultusque aquilini;
Quêis sublimè volans, petit ardua, cernit acutum.
Tuque aded volucris divinæ lumine mentis
Abdita vestigas Divûm penetralia, tendis
Ad Superos, altum spernis mortalia, summasque
Ædes Cœlicolûm penetras pernicibus alis;
Quô comitatur ovans Te fulgida turba Dearum:
Inter quas, dum Te comitor Sapia Diva,
Exuviis hanc Ipsa Tuis appendo corollam.

II. PIETAS in Deum.

Symbolum: *Regula virtutum Pietas.*

Pietas congenita Sapientiæ, eam anticipet, an sequatur,
dubium est; id verò certissimum, tam arcto germa-
nas hasce Sorores consociari nexu, ut Se ab invicem
divelli neutiquam patiantur: sed bene convenient, & in una sede
morentur.

morentur. Timor enim Domini est initium Sapientiae: nec digna nomine Sapientiae, subtilis quantumlibet speculatio, quæ Dei cognitione, amore, & cultu destituitur: quum Deus sit & primum Verum, & summum ac unicum Bonum. Eum itaque nôsse, venerari, amare, vera, si non unica est sapientia. Nec abs re Pietatem in Deum, primam omnium Virtutum earumque fundamentum statuit antiquitas: cum Deus sit centrum cogitationum, desideriorum, omnium denique animi affectuum; nec extra amorem ejus & cultum, nisi inane Virtutis nomen reliquum sit. Hoc expressum est, noto quibusvis Symbolo, acui magneticæ superscripto: Respicit unam. Illa enim uni perpetuò stellæ polari est affixa: quod ipsum, omnium quidem, sed maximè Heroum & Principum animo, perpetuum esse debet: uni Deo indeclinabili lege affixum esse. Ipsâ hoc docente naturâ, quod testantur Gentilium in colenda pietate æmulationes ac studia; quorû indè aliqui Divi, Pii, Theosebeis, &c. dici voluerunt; quantò magis Jis, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, veræ ut studeant pietati, ratio statûs sui jubet. Quam in rem eleganter Carolus M. Is est Princeps opt. cui cognomen est Abraham. Et Elector Maximil. in institutione ad Filium: Hoc certò statuendum est, Principis in Deum pietate, felicitatem ipsius, subditorum mores, & utriusque fata librari.

Secunda, corollam tumulo Excell. Comitis BANFFI, jurè appendit Pietas, cum hac Epigraphe.

AB Jove principium, veterum quod carmina dicunt,

In Jove virtutum consistit finis eodem:

Vera adèd virtus, quæ numinis ardet amore,

Affectusque pios animi Illo terminat omnes.

Illa ego sum, Pietas justo quæ nomine dicor,

Sidereo delapsa polo, mentesque reducens

Ad Superos, doceo quæis dignos reddere honores,

Et placare piis sanctissima Numina votis:

Sexcentis ideo crucibus vexata, malisque

Exosa;

277
Exosa; ast dilecta quibus *sapientia* cordi est.

Ante alios dilecta Tibi, *Comes Inchyte BANFFI*,
Cujus ut excellam coluit *sapientia* mentem;
Sic *Pietatis* amor ferventi in pectore fulsit,
Quò flagrans, vivam stiteras Te Numinis aram
Thauricremo votæ Superis animæ igne calentem;
Quorum jussa sequi, & Quos proppitiare frequenter,
Jugiter una fuit votorum summa tuorum:
Unde tenax veræ quam Divûm oracula pandunt
Relligionis, eam devota mente colebas
Non tantùm; studio sed Eam firmare, tueri-que
Omni conatus, fueras fortissimus *Atlas*
Orthodoxias, nec ab ejus tramite nutans.

Hoc *Aquile* obtutus docuit, quæ lumine recto
Sola potest Solis flammantem cernere lucem;
Solum ideo mentis directo lumine *Solem*
Justitiæ, exortumque jubar Tibi cernere fas fuit;
Cujus ad aspectum mentemque oculosque regebas,
Ejusdem nunc es visu propiore beatus:
Quò Te læta sequor, turbâ comitante Dearum, &
Exuviis hanc *ipsa tuis appendo corollam*.

III. JUSTITIA.

Symbolum: *Discite justitiam moniti*.

Justitia gemella Soror *Pietatis* eam è vestigio excipit,
& æquis comitatur passibus. Nam ut *Chrysostronus*:
Nec pietas est sine justitia, nec sine pietate justitia. Vir-
tutes si separate sint, dilabuntur; æquitas sine bonitate servitia est,
& justitia sine pietate crudelitas. Quò facit vetus Symbolum:
Pietate & Justitiâ. Justitia autem secundum *Philosophum*, est
æquitas, jus unicuique rei tribuens pro dignitate cujusque.
Juxta *Macrobiûm*: Justitia est servare unicuique quod suum est;
De qua veniunt, innocentia, amicitia, concordia, pietas, re-
ligio, affectus, humanitas: his virtutibus vir bonus, primùm

Sui, atque deinde Reipubl. rector efficitur. *Iustitia* proinde, uti virtus perrara est, & terris serè exulans, juxta illud Poëtæ: *Victa jacet pietas, & Virgo cæde madentes. Ultima cœlestium terras Astræa reliquit*; Ita summè necessaria, iis maximè, qui in terris vices Dei gerunt, & populis jus dicunt. Nè id sibi præsumant, pro jure vires esse; & minorem prædam fieri majori; sed intra cancellos justî & æqui, intra repagula legum constituti, lance æqua, & fronte cœca vultū nō respectante, cuique suum tribuant. *Iustitia non novit patrem, non novit matrē; veritatē novit, personā non accipit, Deum imitatur*: ut scitè *Cassiod.*

Tertia, corollam tumulto Excell. Comitîs BANFFI, jurè
 ■ *appendit Iustitia, cum hac Epigraphe* :

SUM Dea cœlesti Divûm de sanguine nata,
 Quæ mundi instabilis vanos aspersiones honores;
 Sum cœca, & nullis precibus, vel munere flector,
 Vultum non specto, tenero nec ducor amore
 Matrum, fratrumque, & quos nexus sanguinis unit,
 Læva enses tenet, ast æquatam dextra bilancem:
 Quâ scio cuncta hominum justè metiri acta
 Cuique suum tribuens, quibus est mens devia recti
 Mulctando, sed iis largissima præmia dando
 Qui Me suspiciunt, justî rectique tenaces.

Quos inter palmâ es dignus Comes *Inclyte* BANFFI,
 Alter *Aristides*, Vindex acerrime veri,
 Quem statuta semel legum discindere jura
 Reiligio vetuit, jussitque incedere passu
 Æquo, nec vultum ullius spectare, nec extra
 Fas & jus, rectique viam deflectere quôquam
 Nullum concutere immeritò, nec lædere quenquam,
 Æquâ sed trutinâ sua quæ sunt reddere cunctis,
 Imò afflictorum pressis succurrere rebus,
 Solari miseros, & vim frænare Potentum,
 Majori nè præda minor, nec diviti egenus
 Fiat; forte sua maneat sed quisque beatus.

Non

Non ideo frustra gladium gerit *armiger Ales*
 Magno sacra Jovi, legum fidissima custos,
 Quem vibrat in fontes, sed quo tutatur amantes
Iustitiæ, quibus est legum reverentia curæ:
 Ense hoc armatus fueras *æqvissime Iudex*,
 Atque *Gubernator Patriæ*, quo munere functus,
Iustitiæ à Superis dum præmia larga capeffis,
 Exuviis hanc *Ipsa tuis appendo corollam*.

IV. C L E M E N T I A.

Symbolum: *Sola Deos æquat clementia nobis.*



Clementia est moderatrix *Iustitiæ*; quæ si modum excedat, crudelitas est; ut hîc maxime tenendum sit illud Sapientis: *Serva modum*; & *Aurea mediocritas* observanda. "Cavendum enim Recturo multitudinem, nè vim" Imperii severitas interdât, nec laxitas solvat. "Tutissimum" aureæ mediocritatis, quâ naturæ & mortalium vires librantur firmamentum, ut omni Imperio ætatem affert; ita novum quoque munit, facitque, ut quum conditione sua stare, ex necessitate providentiæ non possit, voto parentium juvetur. Quod, quum tam secundis, quam adversis rebus intercedat, ut illæ perdurent, has, depulsis malis clementia Fati, ut tempestatem serenitas excipiat, ita stabile rerum munimentum, fides Civium est." Ad quam animis illorum instillandam imprimendamque, potentissima est Principum *clementia*, juxta quorundam notationem, à *claritate vel cultu mentis* derivata. *Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro Viro dignius, placabilitate atque clementiâ*, inquit Cicero. Et ut Seneca: *Nullum magis decet clementia quàm Principem*. Quâ aureæ mediocritatis, connatæq; illi clementiæ normâ non rite servatâ, pululant subditorum in Principes odia, simultates, averfationes, & indè Regnorum interitus. Certò indicio: "Terrarum Imperia, non tam sola Fati destructione, quàm pravitate mortaliū ingeniorum interire. Quæ, cum ex possessione & usu"

longioris potentiae insolescant; ira ægre modum Imperio statuunt, qui rite servatus, rebus etiam sua infirmitate corruentibus, æternitatem largitur.”

Quarta, corollam tumulo Excell. Comitis BANFFI, jurè *appendit Clementia*, cum hac Epigraphæ:

Justitiæ fervare modum, finesque tueri
 Rectos, nè subsidat iners, nec turgeat ultra,
Hoc opus, hic labor est, nimiumque urgere rigorem
 Justitiæ, haud semper prodest mortalibus ægris:
 Nam si justitiám lenis non temperet usus
Clementis genii, feritas & sæva libido est.
 Quare Ego Diva Deum soboles *Clementia*, monstro,
 Quid decet Heroas, quorum est jus dicere plebi,
 Scilicet, ut rigidum jus lenis temperet aura,
 Nè summum quod sit jus, summa injuria fiat.

Hoc Te maturè docui *Comes Inclyte* BANFFI,
 Quem vix dum Juvenem, Fata excepère severa,
 Et fors inclemens casu versavit acerbo:
 Exemplo ut proprio, miseris succurrere scires,
 Quæ Tibi contigerint mala, non ignarus eorum.
 Quare Te *justum* præbebas, sed mage lenem,
Clementem, mitem, facilemque ignoscere cunctis;
 Dumque per *excelsum Pro-Regis munus* obires,
 Immemorem fore, jurásti, quæ cede paterna
 Acciderant, & quod vindictæ nulla cupido
 Distineat mentem, licet alto vulnere sauciam
 Et duro pressam fato, ast ignoscere promptam.

Nec mirum, cùm sis generoso corde *Leonis*:
 Cujus uti victis scit parcere nobilis ira;
 Sic Te subjectis docuit comparcere cunctis,
 Et veniam indulgere reis, sua crimina passis.
 Hòc Superos imitatus, Qui veniam dare lapsis
Clementer nõrunt: Quorum ad consortia dum Te
 In sublime vehit præfulgida turba Dearum;
 Exuviis hanc *Ipsa Tuis appendo corollam*.



V. P R U D E N T I A.

Symbolum : *Rerum fato prudentia major.*



Magna pars *sapientie* est *Prudentia*, nec absque hac illa Sibi constat: verè enim sapit, non qui rerum naturâ, causas, operationes contemplatur duntaxat; sed qui iis cum ratione & iudicio uti, & ea, quæ sive de Deo, sive de rebus quibusvis intelligit, ad praxin referre novit; quæ ipsa *Prudentia* est, à providendo tanquam potiori parte dicta, & inter primas 4 *Virtutes* non abs re numerata. *Prudentia enim Virtutum princeps est, reliquisq; omnib^o utitur, atque ipsarum ordinem, modum, occasionē, tanquam oculus quidam mentis undequaq; lucidissimus disponit. Quod si quæ nobis etiam cum Diis intercedit comunitas, ea maximè virtutis hujus gratia consistit, & per hanc imprimis ipsis assimilamur. Hujus beneficiò, bona & utilia, honesta & turpia discernim^o, factaq; convenientia judicamus, aut emendamus. Denique, gubernatrix est hominû, & omnis inter ipsos constitutionis princeps. Quin etiam civitates & familias, privatamq; singulorum vitam, ad exemplar divinum referens, quâ potest optima similitudine depingit. Meritò igitur Deo similes facit sui possessores *Prudentia*; ut scitè describit *Famblich*. Et *Damippus Pythag.* *Prudentia cæterarum virtutû dux & mater est. Etenim virtutes omnes ad præscriptâ & rationem prudentie constituuntur.* Hinc, tria maximè injunxit *Discipulis Socrates*: *Ut in animo haberent prudentiâ, in lingua silentium, in vultu verecundiâ.* *Seneca*; *Prudentē animum tribus temporib^o dispensari jussit: Cogita, inquit, præterita, presentia ordina, futura provide.* Unde numerantur partes *Prudentie*: *Memoria, Intelligentia, Providentia.**

Quinta, corollam tumulo Excell. Comitum BANFFI, jurè appendit Prudentia, cum hac Epigraphe:

NUllum Numen abest, si sit *Prudentia*, dictum Antiquis: Numen non sum, sed sum pia mater Virtutum, nutrixque, & Numinis alma propago.

Quâ sine nulla sibi virtus, sapientia nulla

Constat,

Constat, virtutis sed inani nomine turgēt;
 Sola *Ego* quæ præxi vitæ, rebusque gerendis
 Aptum reddo animum, vera ratione præûnte,
 Et cum iudicio doceo metiriæ acta
 Mortalis vitæ, solorumque incolo mentes,
 Quorum longo usu rerum experientia firmat.

Non peregrina proinde Tibi *Comes Inclyte BANFFI*,
 Quem Divis genitum, Divæ coluere Sorores,
 Quæcis ego juncta, *Tuæ* divino lumine menti
 Affulsi, circumspècta ratione nitenti,
 Iudicioque acri, nec dexteritate minore:
 Quâ, Tibi commoda dum se offert occasio rerum
 Rite gerendarum, casus intentus in omnes,
 Prudenter scires cunctos moderariæ actus,
 Utque domi œconomus prudens & providus esses;
 Publica sic graviter, dextrè tua, munia obires:
 Magnorum testes sunt tot documenta laborum,
 Quos prudenti animo Patriæ pro pace tulisti:
 Cujus *Tu, Sapiens, Justus, Prudens, Moderator*
 Jurè cluis, semperque clues post fata superstes.

Judicium acre tuum, & prudentis lumina mentis;
Regia avis pede serpentem complexa figurat;
 Nec frustra *Serpens Aquila* fuerat bene junctus;
 Ignea vis animi, & solers *prudèntia* nam *Te*
 Jugiter amplexæ, tollunt ad sidera: quare
 Exuviis hanc *Ipsa Tuis appendo corollam*.

VI. VIGILANTIA.

Symbolum: *Rerum labor & vigilantia custos.*

Prudèntia amicam porrigit dextrè *Vigilantia*: prudentiæ est enim agendi occasiones circumspicere; & ubi illæ se offerunt, ambab^o; manib^o arripere. Ejusdè est, tempori invigilare, & res gerendas illi conformare, nec quicquam præcipitanter agere; sed momentis rerum bene expensis,

53.
fis, easque cum ratio jubet, nihil cunctando exequi. *Labore et industria*; vetus est Symbolū: *Dii enim laborib⁹ omnia vendunt*. Nec ad honoris culmen dignè affurgunt, qui otio disfluunt; sed qui laboribus aſveti, indefeſſo studio, industria & conſiliò, ſuperatis omnibus difficultatibus, ad ardua enituntur. Etenim, *Labor omnia vincit Improbus*. Præſertim qui Magiſtratum obeunt, jugiter excubare debent ad ea, quæ & Iſſis gloriã, & populo incolumitatem paritura pervident; atque vigili mente attendere functioni ſuæ, nè partibus ſuis deſint, nevé tanquam inertes trunci hæreant, aut ociantes fuci ſuccum Reip. depaſcant. *Honos ex vero onus*. Cujus qui conſcendunt gradus, non leve ſuſcipiunt onus; cui ferendo, animum maſcula virtute imbuant, oculos pervigiles habeant, ac omnes, ut dicitur, nervos intendant, neceſſe eſt; nè ferendo impares illi ſuccumbant, quò Reipubl. perniciem, ſibi dedecus pariant.

*Sexta, corollam tumulo Excell. Comitis BANFFI, jurè
appendit Vigilantia, cum hac Epigraphe:*

SCeptra gero, vigiles oculos circumfero, cuncta
Diſpiciens, penetransque altè, *Vigilantia Diva*.
Cuſ *Labor*, & victrix naturæ *Industria ſolers*
It comes, atque facem mater *Prudentia* præfert,
Quâ rerum ſcrutor momenta, & luſtro profunda,
Docta animo vigili mandato munere fungi,
Nec mihi parcendo duros perferre labores:
Advigilans, prædeſſe queunt quæ, quæ vel obeſſe,
Illaque ſollicitè curans, ſtudio iſta cavendo
Pervigili, rebusque intento rite gerendis.

Quas ut prudenter gereres *Comes Inchyte BANFFI*,
Diva Tibi dederam vigilem *Vigilantia* mentem,
Argutosque oculos animi, quibus intima rerum
Scrutari nõſſes ſecreta, & ſcire profunda,
Et luſtrare ſagax quo quid ſit tempore agendum,
Quod dum iſtat, fruſtra nè prætereatur oportet,
Utendumque aded præſenti tempore, cujus
Gnarus, temporibus Te conformare ſciebas,

Et vigili cura discernere, quæ bene profint,
 Vel noceant; quæ communi sint apta salutî,
 Aut inimica, cavens hæc, strenuè at illa sequutus,
 Nec votos Patriæ fugiens perferre labores;
 Jugiter ast ejus conniti ad commoda, proque eâ
 Excubias agere invictas, noctesque diesque.

Hoc *Aquila* vigiles oculi, hoc emblemata *Leonis*
Gentili in Grypho pulchra sub imagine pingunt.
 Pervigil est *Aquila* atque sagax, sic & *Leo*, cujus
 Pervigiles oculos generosa fronte gerebas.
 Dum Vigil ergo Dei superas transferris ad ædes;
 Exuviis hanc *Ipsa Tuis appendo corollam.*

VII. FORTITUDO.

Symbolum: - - - *Fortissimus ille est,*
Qui promptus metuenda pati.

Prudentiam & Vigilantiam sororio nexu se mutuo complexas sequitur *Fortitudo*, earum vel nata, vel certè soror germana, & comes individua. Nam ut *Bernhardus*: *Fortitudinis mater prudentia*; non enim fortitudo, sed temeritas est quilibet ausus, quem non parturivit prudentia. Et ut *Augustinus*: *Bonus circuitus est, si justitia querit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet; ut sit justitia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu.* Significanter autem vocatur Græcis *Fortitudo*, ἀνδρεία, q. d. *Virilitas*; quia maximè τῆς ἀνδρίας, *Viros* decet: sicut & *Virtus* ex mente quorundâ à *Viro* dicta est. Est enim *Fortitudo Virtus*, quæ animum super periculi metû agit, nihilq; nisi turpia timet, tolerat fortiter vel adversa, v. prospera. Juxta *Ambrosi*. Non mediocris animi est *Fortitudo*; quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, simulq; justitiâ custodit, & quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, & rigidior adversus voluptates. Ita & *Cicero*: *Neceffe est qui sit fortis, eundem esse magni animi: qui magni animi, invictû: qui invictû, eum hu-*

manas

manas res desplicere, atq; infra se positas arbitrari. Despicere autē nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest.

Ex quo efficitur, fortem virum ægritudine nunquam affici.

*Septima, corollam tumulo Excell. Comitris BANFFI, jurè
appendit Fortitudo, cum hac Epigraphæ:*

Infractum gero pectus Ego, & mentes generosas

Possideo, fortesque, excelsas, & resolutas,

Est quibus ingenitum Virtutis ad ardua niti

Culmina, quò fractis animo via nulla patescit;

Fortibus at, nôrunt qui cunctos ferre labores,

Et prompti metuenda pati, & sufferre periëla

Quælibet, adversis non frangi, nec citò mergi

Gurgite turbineo quæis vita est pressa malorum;

Nec si læta cadant, efferri, & tollere cristas:

Cuncta sed invicto moderari robore mentis.

Ipsa Tuam rexi mentem, Comes Inçlyte BANFFI,

Excelsam, fortem, invictam, & certè resolutam,

Quâ varians fortuna Tibi superata, ferendo

Fortiter adversos casus, & mille periëla:

Illis, forti animo, & firmato pectore, victis.

Nec Tibi cùm Fatum clemens arrisit, & alta

Scandere conspicuùm fastigia jussit honorum

Laudibus elatus, fastûs nec turgidus æstu;

Æquam servâsti mentem, florentibus auctam

Rebus, non secus ac adversùm mole gravatam:

Et velut ex alto despectans vilia, mundus

Quæ bona dat, potiore bono pectus bene fultum

Gessisti, fortique animo ipsam temnere mortem

Duxisti mentis generosæ, ac nobilis esse,

Fortiter extremos mortis tolerando dolores,

Quæ violenta Tuæ succidit stamina vitæ.

Hoc animi immotum robur, *Gentile Leone*

Aptè signatur, quò non animosior alter.

Tuque aded lustras dum cœlica Signa Leonis;

Exuviis hanc *Ipsa Tuis appendo corollam.*

VIII. CONSTANTIA.

Symbolum: *Constantia decet virum.*

Fortitudinis gemella Soror est *Constantia*, *Levitati*, juxta alios *Vanitati* opposita. Est autem stabilitas animi firma, & in proposito perseverans; unde & *Firmitas* & *Perseverantia* audit. Virtus omnib^o quidem, sed præprimis Viris illustrib^o dignissima; quibus nihil indecentius, levitate & inconstantia. *Maximum indicium male mentis est fluctuatio*: ait *Seneca*. Et ut Sapiens: *Stultus, ut Luna, mutatur*. Unde vulgò homines instabiles, *Vertumni*, *Euripi*, *Prothei* vocantur, qui omnes *mutantur in horas*. Ex adverso sapiens non mutatur, à proposito non dimovetur, sed illius tenax; cunctas quæ se obijciunt difficultates superando, sibi non temperat; nec desistit, usque quò voti compos fiat. Etenim, *Nulli re utili abstinendum est propter apparentem difficultatē; sed comparandus habitus, quò cuncta bona mortalib^o comprehensibilia redduntur, ea maxime, in quib^o sæpe numero summa salutis sita est*: ut ait *Polybius*. *Alacriter incumbendum est inchoatis, cum vicinitas perfectionis affuerit; spes, affectus tedium laboris excludit*. *Magnum genus incitamenti est, credere desiderata compleri*: ut *Cassiod.* Et ut *Seneca*: *Turpe est cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel recepisti*. *Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit ipsi animus ipsa rerum difficultate*. *Perseverandum est itaque, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est*. Non abluunt noti versus Poëtæ:

*Fustum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Jovis.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruina.*

57.
*Octava, corollam tumulo Excell. Comitum BANFFI, jurè
appendit Constantia, cum hac Epigraphe:*

Magnanimos, fortesque Viros, *Constantia Diva,*
Pergere constanti pede, propositique tenaces

Fixò stare loco facio, velut anchora puppim,

Et jubeo à vana levitate cavere, nec ullâ

Terreni formidine; contra audentius ire,

Atque vagi tumidos animi compescere fluctus;

Nè ventus moveat, vel inanis gloria raptet;

Constanti sed mente sciant insistere cœptis,

Et durare diu, nec quò deflectere, donec

Eventus factis respondet, & illa coronat.

Ipsa Ego Diva Tuam mentem, Comes Inclyte BANFFI,

Svetam difficiles constanter ferre labores,

Fortiter & cœptis insistere, munia obire

Commendata Tibi, firmavi stamine fixo,

Quo firmo stares talo, pedibus quoque firmis

Calcares virtutis iter, nec sistere cursum

Velles, optatam dum fas sit tangere metam.

Et sanè illa Virum decuit *constantia* fortem!

Quæ connata Tibi, reliquisve *sororibus* aucta,

Immortale decus peperit, qui mente vacillans

Nunquam, nec fluidas leviter mutatus in horas,

Rebus ut humanis constantem proderet mentem

Sic magis divinis studuisti, tramite veræ

Relligionis, confessus quam es, rite retento,

Nec deflectendo latum, quod dicitur, ungvem.

Ex quo, nôsse datum cuivis *ex ungue Leonem*

Magnanimum, fortem, constantem, & sede Deorum

Dignum, depositòque ab Iis fertò redimitum:

Quod dum decerpis, lauròque perenne bearis;

Exuviis hanc *Ipsa tuis appendo corollam.*





IX. FIDELITAS.

Symbolum: *Perdurat non empta fides.*

Fidelitatis soror est *Constantia*: fidelis enim non est, qui constans non est; nec constans, qui non fidelis. *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est. Nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur premio: ait Seneca. Idem: Malo mihi successum deesse, quam fidem; etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem. Fidem qui perdit, nil potest ultrà perdere. Et verò summè necessaria Viris Principibus fides. Ut ait non nemo: Fides tanto splendore præfulget, ut sine ea omnes Regum ac Principum virtutes obscuriores fiant. Nec minùs necessaria erga fidos Principes subjeutorū fidelitas. Virtus uti summa & Principum ac Reip. incolumitatis conservatrix, ita perrara, juxta illud Poëtæ: Nusquam tuta fides; præsertim novercante fortuna, & turbato rerum ordine; uti Silius canit: --- stat nulla diu mortalibus usquam Fortuna titubante fides. Et ut Xenophon: In scelicitate fidem servare, nil arduum esse videtur, verùm cum quispiam in amici (: adde, Principis & Patriæ:) calamitate constans permanet, id omni ævo memoriâ retinendum erit. Indè summo in pretio habiti, & memoriæ cōmendati, ab omni ævo Viri Principibus & Patriæ fidi. Laudatur adhucdum in Scripturis, fidelitas Jonathanis in Davidem; apud exteros, Achat's in Æneam, Hephestionis in Alexandrum; aliorumve præclare de Principe & Patria meritorum, qui eâ & altos honorum gradus conscenderunt, & æternam nomini suo gloriam comparârunt.*

Nona, corollam tumulo Excell. Comit' BANFFI, jurè appendit Fidelitas, cum hac Epigraphe.

Intemerata *Fides* sociali pectora nexu
Colligo, & æterno mortales foedere jungo;
Quo sine nulla viget *Virtus*, *Pietas* quoque nulla,
Nullus *Justitiæ* vigor, & *Prudentia* nulla,
Nec constans firmo graditur *Constantia* talo.
Sola *Fides* etenim casto devincio amore

Mortales

Mortales animos, Disque immortalibus æquo,
 Illos, his, fidei conjungens fœdere sancto,
 Mutuaque inter eos pacta & consortia firmans;
 Quæ sanctâ absque fide possunt consistere nunquam.

Constantis Fidei vivum, Comes Inclyte BANFFI,

Exemplar fueras, Superûm Qui raptus amore
 Sincero, fidei fumabas jugiter igne,
 Et votam Superis mentem sine labe gerebas,
 Non passus fidei maculas aspergier ulla:
 Ejusdem fidei sacrato fœdere junctus
 Principibus, semper gratam, semperque fidelem
 Gessisti mentem, nec suspicione notatam
 Perfidie; fidei sed constanti igne calentem.

APAFIUS Princeps illum persenserat olim
 Ignem devotæ fidei, quô ardentius Illum
 Complexus, fido es firmoque sequutus amore:
 Nec minus Augustus Cæsar persensit eundem
 Et Magnus quondam LEOPOLDUS, deinde JOSEPHUS;
 Quêis raro exemplo semper fidus, voluisti
 Juratam, sanctamque fidem Tu fallere nunquam.

Cæsareæ hoc Aquilæ Banorum debuit Ales,
 Illi ut juncta, sub ejusdem requiesceret umbrâ.
 Unde ad perpetuam requiem dum pergere tendis;
 Exuviis hanc Ipsa Tuis appendo corollam.

X. PHILOPATRIA: Amor Patriæ.

Symbolum: *Salus publica suprema lex esto.*

Fidelitatem comitatur φιλοπατρία, Pietas quæ debetur Pa-
 triæ, seu Amor in Illam. Nec Deo enim, nec Principi fi-
 delis est, qui Patriæ fidelis non est, & qui utilitatem pu-
 blicam privatis non anteponebat commodis; juxta tritum illud:
Publica privatis anteferenda bonis. Non nobis solum nati sumus,
ortusq; nostri partem Patria vendicat, partem amici; ut notat post
 Platonem Cicero. Unde cum ipso sanguine ingenitus est omni-
 bus amor Patriæ; juxta illud: *Nescio, quâ natale solum dulcedine*

cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui. Peregrini proinde & degeneris est animi, ab amore Patriæ desistere, suisque magis, quàm Patriæ utilitatib⁹ studere. Multorum tamen mentes transversum agit furens & legum destructor ambitus, & insana habendi cupido; qui res omnes ex propriis utilitatibus metiuntur: neque se rebus, sed res sibi, suisque votis conformare nituntur. Juxta illud Symbolū: *Aut Caesar, aut nihil.* Unde similtates, odia, rapinæ, cædes, livor alieni boni, invidia nigrescens, & alia bonæ mentis vitia, ortum ducunt. Quib⁹ nonnisi anim⁹ sua sorte content⁹, & pacis ac publici boni magis, quàm sui studiosus, obviam ire potest. *Quis non hunc hominem studiosissime laudet, & sapientissimū judicet, qv̄i pro salute Patriæ, pro incolumitate Civitatis, pro Reip̄ fortunis, quāvis magnū atq; atrox periculum studiosissime suscipiat, et libenter subeat:* ut ait Cic.

Decima, corollam tumulo Excell. Comit̄ BANFFI, jurē
appendit Φιλοπατρία, cum hac Epigraphe:

SI Pater à Patria, sive à Patre Patria dicta est;
 Certè utrisque idem debetur honos, amor idem.
 Nec meritum Patribus defert, & præstat honorem,
 Qui Patriæ dulcis svavi non ardet amore;
 Et pietate gravi Matrem non fertur in almam:
 Degener ut spurius fuat, ingratus cuculusque,
 Qui curat privata modò, & sua commoda quærit;
 Ingenuus contrà, propriis qui commoda Patriæ
 Ufibus anteffert, studiòque iis consultit omni.

Ingenuo hoc animo fueras, *Comes Inchyte* BANFFI,
 Nec propriis equidem neglectis, ut sapientem
 Prudentemque decet; magis ast intentus in illa,
 Quæ Patria incolumem fuerant paritura salutem,
 Cujus jurè Pater dictus, studio atque labore
 Es nisus cunctò Patrios augere Penates,
 Et desperatis Patriæ succurrere rebus,
 Paci consulere ejus, publica & emolumenta
 Quærere, proptereaque labori parcere nullo;
 Imò tuum persæpe caput committere rebus

61.
Adversis, variisque malorum agitarier undis,
Si modò communem posses servare salutem,
Et semel amissam Patriæ almæ reddere pacem.
Quò fervens ardore, Tuos dum spiritus artus
Rexit, in extremis hoc unum pectore anhelò
Vovebas, Patriæ quod sit Tibi porrò negatum
Servire, opportunam & opem deferre misellis.

Sollicitam curam hanc, *Aquila* depinxit imago,
Quæ pullos gestatque fovetque *alis aquilinis*:
Quêis dum, *magne Pater Patriæ*, ad sublimia ferris;
Exuviis hanc *Ipsa Tuis appendo corollam*.

XI. MODERATIO.

Symbolum: *Moderata durant*.

Hoc Symbolo usus est *Fabius Maximus, Cunctator* indè dictus. Cui concinit Symbolum *Augusti*: *Σπεῦδε βραδέως*: *Festina lentè*. Et *M. Aurelii*: *Consulendum, & consilio parendum*. In laude posita est quorundam Principum vis ignea animi, & moræ impatiens alacritas; quâ abrepti, concitato affectuum impetu, illico partes agendi sibi sumunt: gnari, *Occasionem temporis esse Filiam*. Quo videtur animo ductus *Alexander M.* hoc usus Symbolo: *Μηδὲν ἀναβαλλόμενος*: *Nihil cunctando*. Cui, sive alacritati, sive festinationi, ut in multis lætus respondet successus; ita sæpe verat illud Poëtæ: *Differ, habent parvæ commoda magna moræ*. Ex dicto *Caroli V.* Quemadmodum *Saturnus* Planetarum supremus est, & tamen tardissimo motu gyrum suum conficit; ita Principes summa apud mortales auctoritate functos, quàm minimè præcipites esse oportet. Et ut *Thucydides* ait: Duo sunt adversissima rectæ menti, prudentique consilio: *Festinatio, & Ira*. Et certè generosi ac fortis animi est, se suosque affectus in ordine continere & moderari; juxta illud: *Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia; nec virtus altius ire potest*. Appositè in eundem sensum *Curtius*: *Continentia & moderatio in altissima quaq; fortuna,*
D
eminent

62 *eminentia bona. Ex Dion. Halicarnass. Rerumpubl. Principes, qui moderatè se gesserunt, patrias suas servârunt. Nam sc̄licitatis & moderationis dividuum contubernium est.*

*Undecima, corollam tumulo Excell. Comit̄is BANFFI, jurè
appendit Moderatio, cum hac Epigraphe:*

SUM Dea, quæ mentes justa ratione gubernò,

Et stricto moderor freno, *Moderatio* dicta,
Ponere docta modum tumidis affectibus, & Quæ
Præcipites iras hominum compesco, vagosque
Impetuum fluctus sedata tempero mente:

Quum nihil adversum magè sit rectæ rationi,
Prudentique animo, quàm præceps fervor, & iræ
Immitis rabies; quam vincere, sub-que-jugare,
Nobilis est animi, & fortis; *Se* vincere, docti.

Hoc à *Me* doctus fueras, *Comes Incl̄yte BANFFI,*
Excelsam cujus rexit *Moderatio* mentem,

Quâ duce, prudenter cunctos moderarier actus
Nôsses, atque animi fluctus compescere; Te ipsum

Vincere, & affectus omnes frenare potenter;
Nec temerè quicquam, nec præcipitanter agendum

Gnarus, nec malefuado cedendum esse furori:
Sed consultando, cunctando, resque librando

Tranquilla ratione, modum quæ dictat agendi:

Quem bene servabas, velut alter *Fabius*; indè
Consultus, prudens, moderatus, jurè vocatus;

Cui rerum quando momenta extrema juberent
Sæpius, & serpens ac immedicabile vulnus

Ense recidendum esset, Tu meliora sequutus

Consilia, hoc semper quod sint *mediocria tuta*,

Perdurentque diu, moderata mente tenebas.


Hoc *Leo Gentilis* moderamen mentis adumbrat,

Qui parcens victis generosæ temperat iræ:

Tuque adèd mentis generosæ laude coruscus,

Dum Moderatoris summi conclavia scandis;

Exuviis hænc *Ipsa Tuis* appendo corollam.



03.

XII. HUMANITAS, nataque indè Amabilitas.

Symbolum: *Vis amari? ama.*

SI hominem ab humo derives, non incongrua erit notatio; at humanitatem ab homine dici, certissimum est, cum nil magis deceat hominè, quàm *humanitas*. Ad quam à natura fingitur formaturque Homo: unde à quibusdam definitur, quòd sit *Animal sociabile*. Est enim *nature maximè inimica crudelitas*: ut ait *Cicero*. Præsertim Illustri^o Viris singulari ornamento sunt, Humanitas, Modestia, Affabilitas, subjectòrum Amor, & iis opem ferendi promptitudo. Nihil est tam deformè, quàm ad summum Imperium acerbitatem naturæ adjungere. Et contrà: Nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos; &c. Nec homines ad Deum ulla re propius accedunt, quàm salutem dando hominibus: ut idem *Cicero*. Quod optimè notum fuit *Antonino* cognomine *Pio*, qui se cunctis amabilem præstare maluit, quàm formidabilem: Ut & *Tito*, suis usque adedè amato, ut *deliciae humani generis* diceretur. Optima quippe honoris & obsequii *Magistra*, *Amor* est; *Timor*, infida & fallax: honorare enim quem times, servilis ingenii est & coacti; quem amas, liberalioris ac prompti. Nec quicquam repagula legum, & decreta pœnali horrore subnixa proficiunt, nisi potente amoris igne, ferocientia aliàs cicurentur, & in unum quasi corpus consentur mortaliū ingenia.

Ultima, corollam tumulo Excell. Comit^{is} BANFFI, jurè appendit cum *Humanitate Amabilitas*, cum hac Epigraphè:

TRUX decet ira feras; homines, qui mente reguntur,
 Candida pax, & amor, divina modestia, candor;
 Quis sine nulla queunt hominum consistere pacta,
 Nullaque constanti sociari pectora nexu;
 Sed magis Heroum sunt ornamenta Potentùm
 Humanus, facilisque animus, placabilis, iram

04.
Frenans, subjectosve pio complexus amore,
Quò populi sibi demereantur mutuam amorem.
Hoc animo Heroo fueras, Comes Inchyte BANFFI;
Qui non terribilis populo, sed amabilis esse
Malebas, facilis, placidus simul, atque modestus,
Humanus, mitis, cunctis affabilis, amore
Ardens in plebem, ac illis succurrere promptus
Qui duro pressi fato, & vi fortis iniquæ,
Sæpè favore Tuo gratum solamen adepti
Pondere ab imposito senserunt dulce levamen:
Quâ mente, affectuque pio propensus in omnes,
Pectora cunctorum vinxisti mutuo amore,
Delicium ut clueres, & gloria Gentis amorque
Pannonicæ, Tibi jurè Patri Quæ assurgeret; imò
Gentibus externis fueras adamatus eûsque,
Banffium ut audiret, charum & venerabile nomen,
Charum Principibus, Regi, Augustoque Monarchæ,
Et charum Qui Te nôrunt, & amabile cunctis.

Mutuus hic Grypho gentili nexus amoris

Signatur, cui amorum. oculi sunt, igne. micantes;
Quò Tu in subjectos ardens, redamatus ab illis:
Et post Fata feras quum nomen amabile, charum-que;
Exuviis Amor hancce Tuis appendo corollam,
Ossibus & cineri Vestro placidam opto quietem!



CLAUDIOPOLI,
Impressit SAMUEL PAP TELEGDI,
Annò 1709.